

Sermo

XXXVI

multi veniunt ab oriente et occidente et recumbent. i. letent cum Abraam Isaac et Jacob in regno celorum. filii autem regni. i. iudei efficiunt in tenebras exteriores. i. infamam ibi erit fletus et stridor dentium. Et dixit iesus centurioni. Vade et sic credidisti fiat tibi. Et sanatus est puer ex illa hora.

De eodem Sermo. xxxvj.

Extendens

Jesus manu tetigit eum. i. leprosum. Mat. viij. In his istis notat duo. Primum est magna misericordia saluatoris. Secundum misera conditio peccatoris. Primum patet in hoc quod leproso manu suam extendit. Secundum in hoc quod peccator leproso precepit. Circa primum non quod saluator extendit manu suam in cruce multis modis. Primum extendit manu suam cruciatam ad invocandum peccatorem. Dominus facit sicut nobis: quod volentes renovare aures suas errantes: ostendit eis carnes cruciatas ut eas sic alligant et renovent. Sicut volentes peccatorem errantem invocare: ostendit in cruce manus cruciatas: quasi sic diceret. Uide manus meas sanguineas: et cogita quia propter te passus sum: et revertere ad me ut amara passio mea in te non amittat nec annulet. Ne multi sunt sicut aures ingurgitate et saturate: quod ad reclamaciones non lunt redire. Unde dicit dominus. Proverbia. j. c. Extendi manus meas: nec erat qui aspiceret despectus: omne consilium meum: ego quasi in itinere tuo rideo. Secundo extendit dominus manus suas extendens in cruce ad suscipiendum peccatorem revertentem. Isa. lxxv. Extendi manus meas a populo incredulo qui ambulat in via non recta post cogitationes suas. expulsi enim ut reciperent eos qui redire

vellent. Exemplum in filio prodigo: cui occurrit pater et amplectitur eum benigne suscipiens. Lu. xv. Istud figuratum est. Gen. viij. ubi dicitur quod cum non inveniret columba ubi requiesceret pes eius revertens ad archam. et extendens Noe manus suas intulit eam in archam. Per columbam quod nusquam invenit requiem in mundo significatur anima que nusquam invenit requiem nisi in christo. Si aliquis egreditur archam. i. ecclesiam per peccatum (quod separat animam ab ecclesia. i. commotione omnium fidelium) tunc nusquam invenit requiem nisi in christo. Debent redire ad archam per penitentiam: tunc Noe. i. christus patet eam recipere ad gratiam suam. Unde dominus dicit anime peccatrici. Hieremias. iij. Tu autem fornicata es cum amatoribus multis: tamen revertere et ego suscipiam te. Tertio extendit in cruce manus perforatas ad largiendum peccatoribus quicquid perierit. Unde Beatus Bernardus. Quis non repetit ad spem et impetrandi fiduciam qui viderit corpus christi dispositum in cruce. Habet enim caput inclinatum ad osculandum. brachia extensa ad amplectendum. manus perforatas ad largiendum. Unde psalmus. Dixi domino: deus meus es tu. in manibus tuis sortes mee. Uide ergo o homo manus et ne desperes: quia quicquid perieris impetrabis. Unde dominus. Iohannes. xvj. Petite et accipietis. De hac manu dicit Mattheus. ix. Venit quidam ad Iesum dicens. Domine filia mea defuncta est: veni et pone manum super illam et vivet. Ervenit Iesus et restituit ei vitam. Si ergo filia tua. i. anima tua mortua est in peccatis respice illam manum largam in cruce perforatam: et implorea eius largitatem: ipse sine dubio dabit tibi. i. anime tue vitam eternam. Quarto dominus in cruce extendit manus elevatas et erectas ad percipiendum peccatorem